

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0724

0722

0728

0718

151

domibus vel habitaculis, vestibus, et cibis et potibus. Insuper, antiquitus monachi terram colebant, et dabatur unicuique de fructibus portio sua, quam poterat expendere pro lubitu, et tantum abundabat, quod in oriente eis pauperes deficerent, et frumenta cogerentur ad transmarinas partes mittere pauperibus in occidentem. Ex quibus patet, quod multi monachi centeni et millenni simul poterant habitare, sicut hic in monasterio S. Sabbac.

Porro regrediendo ad propositum ipsum praefatum monasterium talis dispositionis est. Vallem Gehennae, per quam descendimus, occupat per longum spatium, quae vallis est ibi profunda et arcta, et utrumque latus praeruptis rupibus eminet, quibus vallis tamquam muro est munita per non modicum spatium deorsum, et hoc totum spatium fuit monasterium, rupes autem ab utroque latere sunt cavernosae, non quidem cavatae, sed per se cavae, ita quod aptissima praestant monachis habitacula orationi et contemplationi vacare volentibus. Teguntur autem cavernae ipsae desuper pendentibus petris (238 A) et minacibus saxis. Quodam autem naturali opere factum est ab almo opifice, ut cavernae per longum continuae sint et in ordine positae loco cellarum. Inferius enim, in pede rupis, sunt cavernae per ordinem, et super eas altius est cavernarum ordo, super quas tertius est in alto, et in cacumine arte humana murata sunt habitacula, ita quod quatuor ordines cellarum praestat unum latus. Ad inferiores cellas vel cavernas erat introitus a torrente sine ascensu. Ad superiores erat ascensus, et ante cavernas est rupes protensa extra foraminibus antrorum, ita quod ante ostiola est transitus patens; ita etiam est in ordine super illum. Sunt autem cavernae unius ordinis distinctae quasi cellulae unius lateris dormitorii, non quidem humano opere et arte, sed conditoris naturae. Porro in locis, ubi natura non sufficit ad habitaculum completum praestandum, ars humana supplavit, et quando duae cavernae foratum parietem habent, muro foramen est obstructum; vel ex una magna caverna sunt facta duo vel tria habitacula per muros intermedios; vel quando caverna erat nimis arcta per incisionem petrae est ampliata. Quicunque autem frater cavernam habere

0733

0713

0773

0673

0823

0623

0223

Ende

Anfang

